Kepler, Johannes: Tabulae Rudolphinae, 1627

zu Bild Nr.
070
068
074
064
079
059
119
019
169
Ende
Anfang

PRÆCEPTUM 67. *Per Tab. Ægypt. & Phyſicorum f. 39.*

ſesque completos, cum diebus de currente menſe completis, in ſummam redige dierum (excerpens primò per annorum Millenarios ſi tot ſunt, deinde per centenarios, tertiò per denarios, quartò per ſingulos, quintò per menſes) de qua ſummâ ſemper detrahe 199. ſummam ſic multatam viciſſim redige in annos & menſes Iulianos, attento biſſextili; annis Iulianis factis adde ſemper 632 ſolidos annos: conficietur ſumma elapſorum annorum & Menſium æræ Incarnationis, cum diebus reſiduis menſis currentis.

Per Tab. C. Annorũ & Menſ. Iulianorum.

Viciſſim annis Iulianis ab Inc. oblatis demantur 632; reſidui completi, diſſolvantur in dies, excerptione facta, primò per centurias quaternariorum, quæ continentur in numero Iulianorum propoſito, ſecundò per eorundem denarios', tertiò per quaternarios ipſos, denique per ſingulos infra quatuor, completos; dierum excerptos numeros, cum numero dierum menſis completi, & cum numero dierũ menſis currentis in unam redige ſummam: & adde ſummæ dies 199. Ea ſic aucta, redigatur in Tempora Perſica, excerptione annorum in margine factâ, per ſummas dierum proximè minores collectâ, vel ejus reſiduis, excerpto etiam menſe completo, ut appareant dies de currente ſequenti menſe reſidui.

Per Tab. Iulianorum.

Per Tab. Ægyptiorum & Perſicorum.

EXEMPLA.

Anno Iſdagerdis 814, *dies* 17 *menſis Termà, quis cujus menſis Iuliani & anni Incarn. dies eſt? Completus menſis Chartad colligit dies* 90, *adde dies* 17 *currentes, menſis currentis, ſiunt* 107. *Iam anni* 800 *Ægyptiaci vel Perſici dant dies* 292000, *Anni* 10 *dant* 3650, *anni* 3 *reſidui completi dant dies* 1095. *Omnibus diebus in unam ſummam conjectis, & ab ea dempto modulo* 199 *perpetuo, fit ſumma dierum caſtigata* 296653. *Hac verò proximè minor* 292200, *efficit Iulianos* 800; *reſidui ſunt dies* 4453: *ſumma hac proximè minor dier.* 4383, *efficit* 12 *Iulianos, reſtant dies* 70, *qui cum pertineant ad ſequentem* 13 *Iulianum ſimplicem, demptis ergo* 59 *inventis cum Februario ſimplici, reſtat* 11 *currens, menſis Martij currentis. Ad collectos verò annos* 8125 *ultimo currente, adde perpetuum numerum* 632, *conſurgit Incarn.* 1445 *currens.*

In Tab. Iulianorum Annor.

Viciſſim Anno Incarn 1079, *dies* 23 *Februarij, quis dies cujus anni menſisque Iſdagerdis? Demptis* 632 *de Iulianis* 1079 *reſtant* 447, *currente ultimo. Sed* 400 *Iuliani dant dies* 146100, *&* 40 *dant* 14610 *&* 4 *completi dant* 1461, *& duo inſuper completi dant* 730. *Ianuarius verò completus dat* 31, *& de Februario currunt* 23. *Adde &* 199, *modulum perpetuum. Summa ex omnibus diebus conflata, fit* 163144: *de qua* 146000 *faciunt Perſicos annos* 400, *reſidui ſunt dies* 17144. *Rurſum de his* 14600 *faciunt Perſicos annos* 40, *reſidui ſunt dies* 2544. *Sed & de his* 2190 *faciunt Perſicos annos* 6, *reſtant dies* 364, *Deniq; ſumma proxime minor iſtâ,* 335 *adſcripta eſt ad Pechman ſeu Behemen menſem, reſtat* 29 *menſis ſequentis Aſphandar currens, ultimus ſc. dies anni* 447.

Per Tab. Iulianorum.

Per Tab. Ægypt.

Notabis, menſium Perſicorum nomina valdè variis reddi literis, ex alia & alia lingua tranſcriptis. Nam primùm de linguâ Perſica in Arabicam, poſtea de Arabica in Latinam tranſcripta, ſic ſonant apud Alphonſinos in editione Santritterianâ, *Fordimech, Ardaimech, Cardimech, Zirmech, Mardary, Sarembemech, Mahramech, Ebenmech, Ydramech, Dimech, Behmemech, Azfirdamic.* Ut omittam manuſcriptos meos. Ego verò propius me manſurum ſperavi apud idioma Perſicum, ſi ex Græcis authoribus, Chryſococce & Iſacio Monacho ea in Latinam linguam tranſcriberem.

DE CONVERSIONE TEMPORUM ARABICORUM ET TURCICORUM *Hegiræ in Juliana, & viciſſim.*

PRÆCEPTUM 68

MODUS non abſimilis priori. Annos Arabicos Hegiræ converte in dies, excerpens primò per decuplum annorum collectorum, ſi tanta fuerit oblata annorum ſumma, deinde per reſiduos Triaconteteridum integrarum, tertiò per annos completos infra 30, quartò per menſes Arabicos completos. Omnes quatuor excerptos dierum Numeros, unâ cum numero diei currentis in menſe currente, collige in unam ſummam, quam auge denique perpetuo numero dierum 561. Sic auctam converte in annos & menſes Iulianos Incarnat. Ita remanebit in fine Numerus dierum menſis Iuliani currentis, quorum ultimus cum die Arabico propoſito congruit. Annis verò Iulianis cum ſummis dierum excerptis, adde completos 620 annos perpetuò: prodibit annus Incarnationis.

Ex Tabella Arabica parte ſecunda quæ per 30 incedit.

Ex parte prima eius quæ duabus columellis continetur.

Per Tab. Conv. T. Iulianorum.

Viciſſim diem menſis Iuliani in certo Inc. anno (qui Epocham Arabicam ſequatur) in Calendario Arabico ſic aſſignabis. Ab annis Chriſti propoſitis aufer annos 620 perpetuò, reſiduos in dies converte; ſic etiam menſes Iulianos completos, anni vel ſimplicis vel biſſextilis. Omnibus diebus excerptis ſubjunge & numerum diei menſis decurrentis; & fac omnium ſummam, de qua viciſſim aufer ſemper dies 561: ſummam ſic multatam converte in tempora Arabica, excerpens per dierum numeros proximè minores vel ſummâ confectâ vel ejus reſiduis, uſque dum reſtiterit numerus minor quantitate menſis Arabici, qui erit numerus diei de currente menſe Arabico, reſpondens diei menſis Iuliani propoſito.

Per Tab. Temp. Iulianorum.

Per Tab. conv. Arabicorum Hegiræ.

Ut, reliquit Leunclauius in Pandecte ſuo hiſtoriæ Turcicæ, notatum in fine diplomatis Sultani Amurathæ, Annum Tranſmigrationis (Hegiræ) Mahometis 991, *diem* 27 *Silchidze, id eſt Dulhajati. Quæritur in quem diem cujus anni Iuliani is competat.*

Anni 900	*Arabici dant dies*	318930
90	*Arabici dant dies*	31893
Completus Dulkadati dat dies		325
Dies Dulhajati currens		27
Additio perpetua		561
	Fit Summa	351736
Anni 800	*Iuliani habent*	292200
	Reſtant	59536
Anni 160	*Iuliani habent*	58440
	Reſtant	1096
Anni 3	*Iuliani habent*	1095
Add. perp. 620	*Reſtant*	1

Fiunt

© Stadtbibliothek Ulm, 2018. Signatur: MNV 596;